

81

IMPERATOR CÆSAR  
FRIDERICVS IV.  
PACIFICVS  
PIVS, FELIX, AVGVSTVS,  
REX GERMANIÆ  
DALMATIÆ, CROATIÆ,  
ARCHIDVX AVSTRIÆ,  
DVX STIRIÆ, CARINT., CARNIOL., SVEVIÆ,  
LANDGRAVIVS ALSATIÆ.  
COMES HAVSPVRGI, TYROLIS &c.



Des ò Pax Optima rerum, Indigetū Cæli Heroi-  
narum Pulcherrima, Prudentiæ filia, mater  
Probitatis, Iustitiæ vindex, altrix felicitatis,  
Comes virtutum, Regnorum seruatric: ingre-  
dere Hauspurgicam Domum, numquam retra-  
ctura alma vestigia, quæ impresseris, nisi cum  
innocens AVSTRIADVM violata Maiestas,  
aut contra suas, aut contra diuinas, quas cum  
suis coniungit, iniurias, armabitur, Cycnorum  
more, qui tantum laceffiti in pugnam veniunt.  
Tu verò, MARIA ANNA, quæ in ipso ple-  
no Imperij, & Gratiarum nomine, mutuata a pectore, atq; ore regnantes  
Charites, Imperia Gratiarum præfers, Spes Publica Pacis, arride tui PA-  
CIFICI FRIDERICI nomini, vt in comperto fit, quo magnanimo sen-  
su feraris in pacem, vnicum modò, & commune Mortalium Votum, ac  
felicitatem, quæ à tuis manibus orbis terrarum expectat. Tu nata inter  
ferruginea bellorum nubila Iris tempestatum pacatrix, præfagam ante  
Regij Infantis serenitatem, nascentis serenitatem Pacis hoc bellicosissimo  
seculo auspiciò præmittes. Illustrabit Serenissimus IMEANS MO-  
L NARCHA



NARCHA orbem terrarum copiosus, si cælum innube inuenerit, & sæculum innocens. Vbi iusseris REGINA potentissima beneficis tuis imperijs abire ferrea sæcula, aurea fluent.

1411.ka.  
Oßob.  
Friderici  
gentilis  
origo.

Omen interim capto ex FRIDERICO tuo Pacifico ERNESTI Ferrei filio. At quibus coloribus dabimus Pacificum filium ex ferreo Patre, confundentem pugnantia nomina? Nobile monstrum dicere, ex bello, & pace conflatum, nisi scirem Pacem posthumam bellorum filiam esse & bellis fere semper bella debellari. Sua ætas ita Patrem, filiumq; composuit, vt Ferreum Patrem, Pacificum filium appellaret. Quamquam temperato vtriusq; nomine nec FRIDERICO sagate, nec togatæ artes deessent ERNESTO. Eius Auius LEOPOLDVS Probus, Proauus ALBERTVS Sapiens, Natorum ALBERTI Triumphatoris Minimus, cum magnis tantum hisce titulis in Austriacis factis leguntur. Non nisi sapienti manu, probisq; consilijs vibratum ferrum pacem edit illustrem, & nobilem. Vtraq; enim quodammodo Consule virtute, sapientiâ, & probitate, ferri debent leges pacis, ne aut parum vtilis Reipublicæ sit, aut parum decora Principi.

Rex Romanorum  
inanguratur post  
reditum a  
peregrinatione Hierosolym.

1439.ka  
Aprilis.

Austriaci  
Cæsaris  
opera  
Amedeus  
pacificus  
abdicat se  
pseudo pontificatum.

Pacem sui nominis non sefellit FRIDERICVS. Primum Auspicium implet, cum adolescentiæ primâ aurorâ in oriente pijsimè adorandis Corporatæ Diuinitatis vestigijs consecratâ rediens, adhuc Penulatus Pace inter septemuiros Principes partâ, concordibus sententijs ad Paludamentum vocatur, imposito diademate Mundi mole, & Cæsaris nomine grauissimo, & potentissimo. Brutus religiosior, Terræ Sanctæ, non communis, & profanæ osculis initiatur ad regnum. Vitæ melioris natales è sepulchro dominico inijt, Phœnix in eo pietatis renascens. Et certè quis non proficiat ad pietatem, vbi non solum Cælum, sed terra sanctissima est, & ipsum lutum cæcorum oculos aperit? Non mirum etiâ ex peregrinatione Hierosolymitanâ, ab vrbe Pacis, PACIFICI titulum retulisse. Amantissimi pacis Cæsaris plurimum opera Amedeus pacificus Allobrogum Dux suprêmâ, se dignitate orbis orthodoxi Dominâ Reginâq; ac Tergeminâ Tiarâ singulari pacis, quam nomine præfererat auspicio, modestiâq; coronatâ, & principis exemplo abdicauit, exuens ipsum FELICIS nomen. Ita biceps Pontificatus, monstrosa Religionis labes, sublatus est, & integrum imperium veri Pontificis humeris sedit. Quid non felicitatis Terris pariant, si coniuratis in vnum centrum radijs beneficæ stellæ iungantur? Vnius soni gemellæ Citharæ iisdem legibus musicis attemperatæ, eundem concentum reddunt, Citharistriâ echo, non oratrice tantum, sonum reciprocante. Sed maior est cordium concordia, quàm chordarum, si vnum sonum, & concentum ferant. Quod poterat esse sententiarum Duellum, inter Pacificos Principes, quos Pacis nomen, & amor, agebat nonnisi in Pacem, orbis terrarum publicum bonum? Ex vnâ pace, sicuti ex bellis bella, mirâ sæcunditate semper alia pax progerminat. Primum pacatur Austria intestinis tumultibus concussa, ac de LADISLAI tutelâ, veluti, de Græciæ Helenâ, aperto Marte decertans, tû tota Germania, & grauidus semper bellis Septentrio, quæ è sui Cœli, Tellurisq; in genio, truculentæ Vrsæ, ac virulenti angues, & duratæ



duratę eterno gelu horrentes hyemes ciuilibus defectionibus aduersus pacem armarant. Aquilonia: istę procelle serę nunquam sine fulmine inermes fulgurant, ac tonant.

A Septentrione, ad eius pacificum nomen composito, Romam FRIDERICVS petijt Romani Orientem Imperij, vt pacis amator Cęsar solemniter etiam pompā salutaretur Augustus, ac Iani templum suā manu clauderet, argenteamq; germanicam coronam aureā romanā coronaret, faceretq; pretiosorem. Abstiniuit tamen a ferreo Italici Regni diademate, honestissimā legatione ab Insubrico Regulo ad id pronocatus, quasi a ferro illo etiam coronario timeret, ne quid detrimenti caperet PACIFICI titulus. Neq; hæc Cęsarea expeditio fuit, sed continuati per totam Italiam Triumphii species inusitato Principum, ac Populorum concursu, primi ex Austriaca Gente Potentissimi Imperatoris in Italiam aduentum, omni plausuum genere celebrantium. Auctarium felicitatis accessit ELEONORA sponsa Eduardi Lusitania regis filia, honorariā classe, Vlisippone, per claustra oceani, mensis multorum nominum maribus, in Italiam aduecta, & Senis excepta, omnium Italicorum Dynastiarum gratulatorijs officijs, ac densissimā mortalium omnis generis frequentia, impenso toto in apparatus nuptiarum Germanico, & Italico Regno, quā Cęsarem rerum Dominum veneratur. Eadem Lusitania feliciori connubio Pronepoti CAROLO in ISABELLA, dotale etiam regnum desponsabit, Atlantici Oceani opibus, Indicorum marium vnionibus, innumerabilem Aurorę Populorum, ac Prouinciarum auro, gemmisq; Brasilianis Americani Orbis vestigialis tributis, & pretio totius Orientis, qui eodem, quo ISABELLA CAROLO, coniugio occidenti iungetur, coronatum. Cępit tunc Austriadum nuptijs, vt etiam tuis AVGVSTISSIMA SPONSA Oriens, Occidensq; simul plaudere; & Cælum molitioni Hispanę Monarchię in ELEONORA proludere.

Kalendę Apriles Cęsareorum Coniugum inauguratione solemniter Romę celebratę fuere Nicolao V. Summo Pontifice Reginas Dextras iungente, atq; Augustos rite creante, diademate imposito, alijsq; Imperij insignibus, acclamante interim Populo Romano in has voces.

FRIDERICO PACIFICO à Deo coronato, VITA, ET VICTORIA. Auspicatissimas hæc voces, quas non in Austriacis tantum, fastis, sed in cęlestium orbium voluminibus stellarum characteribus, æternę sapphiro adscriptas peruelim, Omnibus austrijs Principibus ad precor, reddente echo faultissimam Orbe Terrarum. OMNIBVS AVSTRIIS PRINCIPIBVS à Deo coronatis VITA, ET VICTORIA. Hic aprilis continuatā successione in Austriacā Gente, florentissimum Potentię, ac Felicitatis ver aperuit. Quamquam in hoc flore secundissimarum rerum omnis mensis, Aprilis esset, & ipsi etiam gelidi Decembres vernerent. Ex hoc Aprili pullulabunt in æuum semper inscripti nomina Austriorum Regum serenissimi flores, concolori cum Cælo Sapphirinā serenitate, nimirum innocenti prorsus, celestiq; Maiestate, præsertim aspirantibus Austris, a quibus lætissimā fecunditate omnis florea natio propagatur. Inuitatus post romanam inaugurationem Cęsar ab Alfonso

*Romam  
petit vt  
Augusti  
insignia  
accipiat.*

*1452.  
Augustis  
in signibus  
decoratur  
a Summo  
Pontifice  
Nicolao V  
cum con-  
iuge Eleo-  
nora Aug.*



Rege, Auunculo ELEONORÆ Augustę Neapolim diuertit, vbi florentissimam Parthenopem, & opulentissimam Campaniam, Rex in obsequiū prodigens, eum exquisitissimis delicijs excepit, nec tamen illis fractus est Austriacus Annibal, sed fortior exitit, & quantum patiebatur amor Pacis, Victoriosior. Inde Ferrariam digressus Borsium Estensem, Mutinæ & Regij Ducem, ac Rouisij Comitem creauit. Eā verò a Serenissimā Venetorum Republicā in reditu in Germaniam exceptus est regiā magnificentiā, quæ Adriatici Maris Reginam, Othomannarum Classium toties Debellatricem, Imperij Turcici æmulam, totius Orientis opibus diuitem decebat.

*Reditus  
in Germaniam.*

In Germaniam reuersus Pacificus Augustus, visus est secum Comitem Pacem trahere vbiq; Imperatricem; ita Statim Bohemos, & Hungaros bellatores populos, de LADISLAI Austriaci folio certates cōpescuit. Nescio quo fato vtriq; Populi ad se LADISLAVM armis trahebant, amore animorū conciliatore abortum faciente, cum bellum eniteretur, procul dubio e Patrē amore monstrum. Quamquam semper monstrum est bellum à quocunq; tandem prodeat genitore. Palmas alteris cruentas eripuit, vt vtriq; donaret oleas innocentes, feliciori sine prælio, & maiori victoriā. Felicius siquidem est victorias pugnis præripi, quā illas consequi, & pugnas ipsas expugnari, quā hostes. Addidit Hungariā, & Bohemiā Pacis sacramento fœderatis, mediam inter vtramq; Austriam, in quā nouarum rerum molitores, & ferro subegit, & auro multauit, iustissimā pœnā, vt expiet aurum ferri scelera, siue potius quidquid auri amor omnium scelerum Architectus, administro ferro peccauit. Pacatæ Austriæ, quia pax semper felicitatem suis auctoribus fœneratur, adiecit in suam potestatem redactum Ciliensem Comitatum, iussitq; Stiria partem esse, & nobilem appendicem auitarum Ditionum. Henricum etiam Goritiæ Comitem tumultus excitantem Austriæ circumsonantes, non sine Republicæ detrimento, ac nouarum rerum periculo, in ordinem redegit, ipsā victorię moderatione ostendens, se pacis amatorem, etiam cum pugnaret armatus, & solo pacis amore ad bellum rapi. Belli Turcici consilium sepe iniit, expeditionemq; totius Europæ in Orientem procurauit, præsertim in Constantiensi Concilio Pio II. Sacrorum Christianorū Rege, Supremoque Romano Antistite Sacrum Bellum suadente, septemviri senatu suffragante, nec refragantibus alijs Germaniæ Regulis, & Europæorum Principum Legatis, cum Mahumetes. II. Captā Imperij Orientalis Sede Constantinopoli; Occidentis Imperio, imò toti Occidenti formidandus, Asiæ fere vniuersæ, atque Orientis viribus insultaret. Sed nunquam sacro, & magno operi manum admouit, fortasse consequentibus ferè statim intestinis malis prohibitus, ne ad externa reprimenda accurreret, reseruantibus superis Gloriam Turcicarum Victoriarum. Posteris Imperatoribus Austriacis.

Infelicitatem summam duxit Pacificus Princeps, quòd cum omnium externorum amores in se excitasset, suorum incurrit in odia, externis bellis truculentiora. Nulla bella hostiliter seuiunt, sanguinemq; sitiunt, aut bibunt, quā consanguinea. Nullæ curæ acrius torquent Principem, quam



quàm quæ indigenæ nascuntur in curiâ, & de familiâ palatinâ sunt. A L-  
 BERTVS frater sanguinem abiurans, & Ciues Viennenses fidem a  
 FRIDERICO deficiunt. Ille Fratrem in vrbe obsidet: Isti Patrem  
 Patriæ in arce, detestandâ vtrinque, ac parricidali impietate. Vicit, sed  
 vt Pacificus solam pietatis famam captans, quæ non solum amorum, sed  
 populorû conciliatrix cum amoribus populos rapit. Gloriosissimû duxit  
 de suo sanguine sine sanguine triumphare, & insaniam refractariæ plebis  
 nō vindice manu punire, sed sanare beneficâ. Summū arbitratus est triū-  
 phi genus se ipsum victorem, & suas victorias vincere, ferri triumphalis  
 instantis impetum, ingenitâ suâ pace cohibere, ac veluti dulcissimo som-  
 no sub palmâ quiescere. Placet populo in regiâ fronte, ac titulo illa seren-  
 itas, quæ aliquando quidem fulgurat, ac tonat, sed citra fulmina. Apud  
 Reges sine aculeo sunt, ideo Reges, quia innocentes, si nocere incipiant  
 Regnum in iniuriâ amissuri. Odisse debet Princeps ea bella, in quibus  
 vincere miserum, vinci etiam indecorum est, cum æquè victores vincun-  
 tur, & victi. Dummodo triumphet, felicius auro vincit, quàm ferro, oleâ  
 coronatur quàm Lauro. Præstat tamen siue in clementiâ victoria fit, siue  
 in seueritate, moras omnes abrumpere, ne hæc longæua minus timeatur,  
 illa etiam despiciatur. Pace potentiam cohibente FRIDERICO, illam-  
 que potiore habente, Matthias Hunniades Coruinus victoriosissimus  
 Hungariæ Rex, Viennam perduellionis sedem capit, continuatq; popu-  
 latione multorum annorum, Pannonijs militibus infelix spoliarium Vr-  
 bem Austria Principem facit, tot Austriadum Imperatorum magnis no-  
 minibus coronatam, & Germanicorum veluti Cesarum Roman. Ita,  
 sæpe fit, vt internorum tumultuum strepitus externum populatorem vo-  
 cet. Assepta est scelestos pœna, non claudo pede, sed alis talaribus. Ma-  
 gna scelera ex orco euocantibus, statim cum securi & fascibus Deus oc-  
 currit; neque enim diu fert vterum grauida fulminibus nubes. Iustissi-  
 mis vindicijs e cælo mulctati sunt Viennenses, vt duro iugo Domini bel-  
 latoris premerentur, qui paterna Pacifici Cesaris imperia excusserant.  
 Non ita sibi deinde a pace gloriam peperit FRIDERICVS, vt in bellis  
 inglorius fuerit. Arma bello franguntur, pace seruantur post otium actuo-  
 siora. Armeniacorum exercitum, siue potius armatam miserorum mor-  
 tionum colluuiem, immissam ad interturbandam Synodum Basileensem,  
 indignam Imperatoriâ victoriâ, & Augusti manu per legatos, occisione,  
 delenit. Sed nihil inde Pacifici Titulo detractum. Victoria enim potius  
 fuit quam pugna, & cum prædonibus non cum hostibus. Pari fortunâ, sed  
 gloriâ maiori Carolum cognomento Audacem Burgundionum Regulum,  
 Principemque Belgicarum Prouinciarum rebus in bello gestis, ipsoq; no-  
 minis elogio clarissimum, octoginta millium militum copijs instructus, ac tota  
 inferiore Germania, aduersus superiorem armatum, a Nouesij expugna-  
 tione recedere coegit, ex pacis amore, bello bellum fugante.

Geminavit Victoriâ inmodicam stabilem triumphum decreuit, coniugium  
 inter MAXIMELIANVM Austriacum, & MARIAM Burgundam,  
 vnico FRIDERICI, & CAROLI, ac paternorum Regnorum Here-  
 des, Solemne iam est in Austriacis Hymenæis, cum flammeo Purpuram, cū  
 tædis

*Bellum  
 cum Al-  
 berto fra-  
 tre & Ci-  
 uib' Viē-  
 nensibus.*

*Bellum  
 aduersus,  
 Armenia-  
 cos.*

*Maximi-  
 liani Prin-  
 cipis con-  
 iugium cū  
 Maria  
 Burgūda  
 fortunati-  
 ssimum.*

1482.



tedis Scepterum, cum florumcorollis, Principatum Coronas, in vnum confociari coniugium, & Austriae Regna maritari. In ANNA RVDOLPHI magni coniuge, tot Heroidum Austriarum stirpe venerati sumus primam dotalem Augustae Gentis felicitatem. Hanc nunc cumulatissimam in MARIA, quam decem & octo Prouincijs coronatus, Burgundiâ, Belgioq; florens, ac diues Hymeneus infert in Austriacam Domum, gratulamur. Quid auspicari PHILIPPO maximo non liceat, ex MARIA ANNA coniunctis magnis nominibus ad beatissimam Faustitatem? Ita Regijs Pignoribus, charis, pretiosisq; inter FRIDERICVM & CAROLVM, alta pax sancita est, eo adamantino nexu, quo sidera, inserta Caelo in sinu aeternae pacis irradiant. Inde Brugeses, Principem Flandriae populum, MAXIMILIANVM filium Dominum belgicarum rerum, detestabili exemplo, iam tunc belgico Leone fratrum Austriacum detrectante, & manum Dominam lacerante, in liberam custodiâ, intra Urbem detinentes, ita superauit pacis amator, vt in Brugesibus amanissimis hortis ex mouito Tarquiniano sola papauera, idest capita coniurationis decusserit, alijs minoribus floribus, ac veluti plebeijs indulgens, vbiq; Pacifici sui Genij cultor.

• Brugeses  
domiti, et  
militati.

Reliquum  
vita Pa-  
cificus Ca-  
sar pacat-  
issime  
traducit.  
Virg. 2.  
geor.

Reliqui anni FRIDERICI tamquam piaculares paci consecrati sunt, cui ex magni Scipionis Africani consilio potior victoria erat, vnum ciuem seruare, quam mille hostes delere.

*Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.*

Ostendit mollibus consilij Pacificator Orbis terrarum, qualis esset aureae aetatis facies, cum Pax Domina rerum inter Aethiâ, Charitesque regnabat, & inter virtutes nundum proscriptas, quae si aliquando etiam nunc ab exilio caelesti in terras reuolant, cum classicum insonat, aut exterrita in Caelum fugiunt, aut saltem aegre inter bella stationem tuentur. Pacem, quam terris peperit in se prorsus caelestem seruauit.

Luca.

*Minimas rerum Discordia turbat  
Pacem summa tenent.*

Caelum dixisses, quod halitus, vaporesq; ab ipso excitati, ne quidem tangunt. Eius dictum fertur, quo nec magis aureum Oraculum ab ore pacis prodire posset. *Principes quasi scopum ei aculatis conuicys expositos esse, sed extra iactum, si eos magnanimitas in Caelo locet.* Vnde eadem pacis serenitate caelesti, vt olim de Artaxerxe Monarcha celebratum est probra excipiebat, & laudes. Hauspurgicos coronatos Leones, canum latratu non terrent. Quae orbis caelestes circumferunt, ac rotant motrices Intelligentiae, semper mouentur, sed sine vlla vniquam vertigine. Tandem post publicatum terris caeleste bonum, adultamq; partam Imperio Pacem, pacata mors Pacificum Imperatorem Caelo transmissit.

1492.  
Kal. Sept.  
Primus  
Auf. Cas.  
inaugura-  
to in Regem  
Romano-  
rum filio  
obit.

Ante Obitum MAXIMILIANVM filium, quem propagandae in immensum familiae Gloriam, ac Potentiae ter maximum Caelum destinatae, rite procurato Caesaris nomine Regem Romanorum inauguratum vidit, eiq; plures annos tamquam Imperij College moderatrices rerum habenas concedidit, Imperatorem partitus. Primus inter Austriades Caesares, successorem non sperauit tantum, sed spectauit, eo nomine charis omnibus,



bus, & felix, quod prospexit, ne decedentem Imperatorem desiderarent, quem non amittebant; sed mutabant, Posteritatem Augustam, Nepotes, Minoresq; consecrans in Filio, eodemq; beneficio Rempublicam beans, & suos. Eucit Pacificus Cæsar quod armatis negatum fuerat; sapiens enim.

*Peragit tranquilla potestas*

*Quod violenta nequit, moderataq; fortius urget  
Imperiosa quies.*

*Claud.*

Liquit fortunatissimus terras FRIDERICVS non secus, ac Phosphorus Cælum, non nisi Sole in imperio lucis relicto, decedens. Ea egit demum Pacificus Cæsar, quæ Roma in Augusto partim suspexit, partim etiã optare potuisset, ad illius regnatores annos prope accedens, Iani Templum Germaniæ bellatrici claudens, rerum Dominus, Patriæ Pater, eidem nec amore populorum, nec literarum præstantiã, nec dignitate formæ, nec studio pacis absimilis; vnde a plerisq; dictus est Austriadum Augustus, iure FRIDERICVS. In hoc superavit Augustum, quod non coronata illa propudia Imperio dedit, Tiberios, Caios, Claudios Neronos, primos illos Iuliæ Gentis nequissimos Cæsares, Parcibus breui deinde cadentibus Orbi terrarum exitialem progeniem, sed piissimam, & potentissimam, Cæsares, & Monarcharum seriem, in ævum propagavit, & prima tantæ felicitatis Auspiciã, in MAXIMILIANO iam Romanorum Rege delibavit. Pugnauit tantum vt pacem pareret circumstrepentibus vndique armis, vti pariunt Cælo genitore conchæ inter tonantia fulmina vniones. Hunc Pacis amorem, hæreditarium suis transcripsit, dignum Augustis. Imperante FRIDERICO Christophorus Columbus de quo verius illud præcini poterat.

*Friderico  
imperante  
nouus  
Orbis in-  
uentus a  
Columbo,  
& Vespu-  
cio.*

*Virg Ecl.  
4.*

*Alcer erit tum Typhis, & altera, que vebat argo.*

*Delectos Heroas, erunt etiam altera bella.*

Post Anglicanæ, & Lusitanæ Aulae repulsas consilio planè gigantæo, ausus est non montes montibus tantum, & Pelion Ossa, sed Americam Europæ, & Orbem Oibi iungere, Americo deinde Vespuccio Columbi, siue volatum siue angurium felicissimum sequente. Hos Argonautas Hispano si non Colchico aureo vellere dignos, quod Maximilianus magnorum, pretium non vile laborum, ac purpuratæ indutriæ, Hæres Burgundici Regni in Austriacam Domum tunc transtulerat, supra gloriosam Græciam Italia in suis theatris decanter. Acroceraunia maiora, & Cyclades, latentes in Oceano mundos non montes, periculo flores stantes scopulos, quàm concursantes, superantes, amico sidere, non Castoris, & Pollicis, sed Ferdinandi & Isabellæ Catholicorum Regum, quorum solio, & virtutû miraculis MARIA ANNA Potentissima Hispaniarum Regina succedis, heroicam metam attigerunt. Ita nouus mundus tibi REGINARVM MAXIMA, atque Hispanis victoribus Monarchis subigebatur, dum Pax Austriaca, ad Septentrionem Imperatrix florebat. Cedite Bacchi, & Hercules intra Abilam, & Calpem Mundi triumphatores: Vos vero quibus nascitur nouus Orbis, nascituri Oibi Terrarum magni MONARCHÆ Austriaci, CAROLI, & PHILIPPI.

*Claud.  
de conf.  
Hon.*

*Herculeos fines, Bacchi transcurrite metas*

*Vestri iuris erit, quidquid complectitur axis.*

FRI-



## FRIDERICVS IV. PACIFICVS

## Salutatio.

Salve FRIDERICE pacifice Imperator Auguste  
 Orbis saluator, tibi salutem precatur,  
 Quem pace Imperatrice verus Augustus  
 Saluere iussisti, cum pacasti.

Hic pacis titulus

Pro maximo tibi elogio sit.

Quem Imperatorem mortalem non extollat  
 Ipse Dei Titulus, cum imperaret in terris.

Qui ex Deo exercituum inermis Infans

Adorari voluit etiam inter caelestem exercitū, Princeps Pacis.

Tu primus inter Cæsares Austriacos Bellatores, Augustus

Dum Iani bifrontis Templum tibi clausisti,

Fortuna Delubrum tuis reserasti, & Capitolium triumphorū.

Illud mirum quod nobile monstrum prodis

Ex ERNESTO ferreo Patre, Pacifica Proles,

Sine fabula, ex Ioue fulminatore

Caduceator Mercurius.

Simili puerperio Pax caelo, ac terris nascitur.

Iris inter ferruginea pugnancia nubila

Et pugna serenitatem, Caeli pacem, parit.

Acclamante Senatu, populoq; Romano

FRIDERICO PACIFICO A DEO CORONATO

VICTORIA, ET VITA

Conciliata est deinde pacifici titulo, aeterna auctoritas.

Alys Bellatoribus

Huic vni Cæsari Pacifico Roma triumphum detulit.

Romanus Orbis reueritus Friderici Maiestatem,

Se statim composuit.

Austriaca Aquila pedibus fulminatrix

Rostro



*Rostro Oleas magnanimo præterdit.*

*Leo Hauspurgicus est in utrumq; paratus:*

*Prosternit rebellem, amplectitur supplicem Pradam.*


*Amabilem hunc FRIDERICE titulum pacis,*

*Pacifici Cygni ad Cælum euehent*

*Penna, & cantu.*

*Interim hinc iterum Orbis terrarum*

*Quam tu dedisti, eandem tibi salutem reddit.*





SYNOPSIS GENEALOGICA  
 A FRIDERICO IV. PACIFICO  
 AD MAXIMILIANVM I.



FRIDERICI pacifici qui ERNESTO Patri successit veluti Bel-  
 latori Romulo placidus Numa, docuitq; vtramq; Palladem Laurea-  
 tam regnate armatam, atq; inermem, & ciuiles curas habere Heroes  
 suos, incruentis victorijs magnos, ac triumphis innocentibus, quinq;  
 liberi recensentur, ex ELEONORA Lusitana Regij Thalami Socia.

CHRISTOPHORVS I.

IOANNES II.

HELENA I.

CVNIGVNDIS I.

MAXIMILIANVS I.

CHRISTOPHORVS, & IOANNES, è cunis ad Superos translati in  
 infantia extincti sunt. HELENA magnæ formæ sed pudicitia maioris, nuptijs  
 prærepta est. CVNIGVNDIS Alberto Sapienti Baioariæ Duci nupta, Inuictis-  
 simi, & victoriosissimi Maximiliani nunc regnantis, septemviri Abauia, Religiosissi-  
 mum Boicorum Serenissimorum Ducum stemma propagauit. MAXIMILIANVS  
 potentissimus, & felicissimus Austriadum, ante ea tempora Heroum inter Haus pur-  
 gicæ familiæ Cæsares sextus, paternum solium adiit. Eo imperante Austria extra  
 Germaniæ limites, capit Orbi Terrarum Imperare.





